



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Fœcunditas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Tum Plinius, ubi ex Catonis sententia scribit Leporis assumpto cibo fieri somniosos, vel fieri, uti *Idem Plin.* nonnulli legunt, Somnos, aut, quod magis placet, formosos: statim enim subjungit, tum vulgo etiam persuasum, conciliari ex eo corpori gratiam. Sed quod ad somniosos pertinet, Medici dicunt, Leporinam carnem melancholiam alere, & sensus spiritales obtusefacere, quia crassum generat sanguinem, ut libello de Victus ratione Psellus ait: nam caro ea subfrigida omnino est, & humoris plurimum habet, quæque ejusmodi sunt escæ, somnos nimirum tere comperiuntur. Præterea de industria quod impuri faciunt amatores, ope Leporis amorem sibi conciliantes: quod etiam libenter est à Philostrato dissimulatum, quando spurcissimum id genus hominum perniciosum est, neque dignum ut à quopiam redametur, cum in amore conciliando candor sinceritasque mentis, non magicæ violentiæ conquirenda sint.

FOECUNDITAS. CAP. VII.

B Nimirum vero foecunditatis hieroglyphicum est Lepus, animal utpote rei Venereæ deditissimum. Nam femina dum interim quæ peperit lactat, idem tamen superfœtat, neque ullum unquam parturiendi facit intervallum. Mas vero præter id, quod more marium progenerat, foetum ipse quoque concipit, & excludit, parique cum femina modo educat. De quo scribit Archelaus, benignam fuisse naturam, quæ innocua & esculantis tantum nata animalia, foecunda fecerit, quibus etiam utramque vim tradiderit, ac masculo-fœminas esse omnes, ac sine mare æque gignere voluerit. *Idem Plin. lib. 8. c. 55.* Aristoteles tamen hoc omnino pernegat, maremque in iis & fœminam separatim agnoscit: quia vero fœmina sæpenumero marem superveniat, factum ut rerum ignari mutuo eos impleri coitu crediderint. Cæterum Archelao Philostratus, Plutarchus, & plerique alii subscribere, qui cum longo post Aristotelem tempore fuerint, neque quid ille tradidisset ignoraverint, haudquaquam credibile est eos rem, de qua tam perspecta esset apud omnes observatio, temere auctos asseverare. Nam Philostratus ferre quidem omnes in utero partum ait, fœminas tamen non nisi ad conceptum idoneas agnoscit. Democritus hujusmodi sexus mutationem per varias vices fieri, dubio procul affirmat, quod alii viderint.

SOLITUDINARIUS. CAP. VIII.

C Non imperite nonnulli hominem solitudinarium, & reliquorum contubernia declinantem, per Leporem in cavum se proripientem describere: numquam enim duos pluresve in eodem cubili versari comperias, sed qui maxime vicini sunt, unius vel circa jugeris intervallo secubant: cumque se recipiunt cubitum, ne deprehendi possint, multum prius hac & illac discurrent, vestigiaque variis ambagibus obturbant, postremo magno sublato saltu, in cavum quieturi profiliunt, auctor Plutarchus. Sane Salomon Parabolis, Lepusculum sapientibus sapienterem dicit, qui cum optime suam intelligat imbecillitatem, ad cavernosas lapidum latebras confugiat, infirmitatemque ita suam tueatur. *Leporis prudentia in se conservando. Prov. c. 30.*

CONTENTIO LAUDIS. CAP. IX.

Pulcherrimum vero mihi commentum illud inter hieroglyphicas literas videtur, quo veteres Aegyptii contentionis illius studium, quam Emulationem appellamus, ab Hesiodo maximo opere commendatam, cum jurgiosam & invidiam illam alteram vituperet, per exanimatum Leporem & Canem sese cohibentem effingebant, cujus picturæ causam Plutarchus idem pulcherrime delineavit; Canes, dicens, qui Lepores insequantur, si contingerit ut eos vi necent, discernere, & sanguine sese proluere, inquinareque mirifice gaudent: quod si animum Lepus desponderit, neque ullum jam effugio locum superesse viderit, quod plerumque accidit, quantumcunque spiritum habet in intentissimo consumat cursu, ut ita deficiat exanimeturque; tunc compertum est Canes simulac ita exanimem conspexerint, omnino non attingere, sed consiliter, sibiq; temperare, motare caudas, argumentumque manifestum omnino præbere,



Emulationis symbolum.